

Regio & unde
dicta.

Situs.

Cali temperies.
Soli fertilitas.

Imperium majō-
rum.

Casa & Armea

Stria
Carnithia
& Carnie
Urbes.

SIC se habet Moravia: sequitur explicanda jam nunc in nostra Methodo *Austriæ* olim *Pannonia Superi-
rior* dicta. *Austriæ* nomen, VVolfango Lazio teste, recens est: ab Austri venti flatu, qui ista in regione
frequens est: vel a voce Germanica *Oostreich*, quod nomen veteres Franci regnorum suorum limiti po-
suerunt, ut *VVestreich* Occidentali. Atqui Francorum *Oostreich* ad Rhenum situm fuit, dictumque po-
stea *Austrasia*, quo nomine amisso, videntur Pannonij illud sibi tribuisse, ut auctor est idem Lazius lib. 1.
cap. 11. Comment. Gent. Aust. Sunt autem Austriaci Francorum & Saxonum soboles, qui hunc sibi tractum
frustra reluctantibus Hungaris ferro pepererunt. *Austria* habet ad Ortum Hungariam: ad Meridiem Styriæ
Montes, qui ab Alpibus perpetui in Hungariam & ulteriores regiones protenduntur: ad Occalum Bava-
riam: & ad Septentrionem Teium fluvium & Moraviam. Aere fruitur leniacamœno, salubrique ob Euri
viciniam quo perflatur. Ager omnis generis Frugum feracissimus, & qui minimo impendio colitur. Vili
etiam & strigoso equo Agricola in eo tractu qui Campus Transdanubianus sive Marchianus dicitur, terram
arat. Marga, citra quam agri in Bavaria infœcundi, & macri sunt, quid sit, Austriacis incognitum est. Vinum
omnis regio fert nobilissimum: meracius Germanico, dilutius Hispanico: Idque Moravis, Bohemis, Silesijs,
vicinisque Bavaris præbet. Crocum in super generosissimum gignit. Zinziber etiam producit juxta Hamburgū,
ad radicem Cæcii montis. Argento abundat, non item Auro: Salem partim domi natum, partim importa-
tum habet. Rerunt *Austriam* aliquandiu Comites *Babenbergenses*, quorum primus *Lupoldus* Marchio
Austriacus ab Ottone 11 Imp. dictus est. Postea *Henricus*, Dux ex Marchione factus a Friderico Imperatore.
Quia stirpe deficiente, *Rudolphus Habsburgensis* qui in Cæsarem electus fuerat anno 1000 cclxxx eam sui juris
fecit, Ducatumque voluit appellari. *Fridericus* 11 in Regnum etiam evexit. Huius regionis insignia olim erant
quinque Alaudæ aureæ, in cœlestino clypeo pictæ: sed *Lupoldus* Marchio hoc nomine v, a rei eventu ab Im-
perio concessa nova usurpavit insignia, rubro & albo coloribus distincta, quod ita totus suffusus sanguine,
in expugnatione Ptolemaidis fuisset, cingulo tenus duntaxat (quod album corpus intersecabat) a cruore im-
munis. Dividitur porro in *Superiorem* & *Inferiorem*, quarum hæc ultra, illa cis Danubium sita est. Habet præ-
terea quoque Styriæ Ducatum, inter Danubium, Muer & Mierz fluvios extensum, cuius Incolæ partim Ger-
manico, partim Sclavonico idiomate utuntur, strumisque pendulis deformes sunt. Habet & Ducatum Car-
inthiæ inter Muer & Dravum fluvium situm; Item Carniam Meridiem versus. Primaria Austriæ Vrbs est
Vienna ante Christi Servatoris Nativitatem culta a Sarmatis & VVindis, quibus successerunt Boji, Senones,
aliique, quos Tiberius Nero in provinciam formam redegit: *Vindebona* dicitur in Itinerario Antonini: Ptol.
Iuliobonam vocat, uterque ad eam locat x Legionem Germanicam, quam eo loco confedisse multa admo-
dum Monumenta perantiqua, tum intra urbem, tum extra eam testantur. Legioni huic a signo nomen A-
laudæ fuit: unde etiam videntur prima orta esse Austriacorum Marchionum insignia, Alaudæ quinque.
Dicta.